

Operis pertinet; *Pars* enim VI. et ultima a *Libro* XXVIII. auspiciatur. Textus editioni *Maur.* T. I. a col. 853. probe consonat. Ad calcem totius Operis litera quadrata, quae etiam Librorum initia: *Explicit Expositio Beati Gregorii Papae Urbis Romae In Job. Libri XXX<sup>a</sup> V. Per Moralitatem Explanati.*

Codici utrinque tegendo, quod dolendum, striatim scissae deseruiunt Membranae Seculi IX. quibus commissi erant *Augustini Tractatus in Iohannis Evangelium*, et quidem extrema *Tractatus* I. et Initium II. deprehendere licet; sed nempe culter ad perpendicularum columnas secuit.

## CCCLXXVII.

R. 3168 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 178. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus et coloribus illustratus idem Opus a *Libro* VI. ad XVIII. exhibet, adjuncto Syllabo omnium Textuum Biblicorum a *Genesi* usque ad *Apocalypsin*, quibus *Gregorius* in hac *Moralium* parte usus est. Codicem hunc hominis a Sacris catholicis alieni κτημα quondam fuisse docent, quae verbis Autoris L. 18. c. 48. n. 79. nobis fol. 167. p. 2. *Quam profecto sapientiam ille ueraciter agnouit, qui mediatori dei et hominum aliquem comparare sanctorum minime praesumpsit; ad-*

jecit in margine. Audi naeniam: *Ecce! Quare igitur sancti ut intercessores invocantur, aut omnino invocantur ullo modo? Nonne hoc est illos et illas æquiparare Christo Mediatori inter Deum et homines? Nimis pertinaciter et libenter erramus, et Deo honorem suum Christoque blaspheme detrahimus. Quid igitur notasset bonus Vir ad C. XLII. Jobi v. 8. Job autem seruus meus orabit pro uobis. Faciem ejus suscipiam &c. si Codex eousque pertinuisset?*

## CCCLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 565 faltem XI. Folior. 157. 4. min. eleganter perscriptus, rubro flavoque distinctus, optime servatus, et quondam *Job. Fabri Praefulis* nostri complectitur *Επιτομην Librorum XXXV. Moralium in Job. B. Gregorii M. Dum Monachi Mauriani* Patris hujus editionem parent, nulli pepercerunt operae in conquirendis monumentis, quae aliqua ratione referrentur ad *Gregorium*, atque in his T. I. *Parris*. 1705. f. in *Praef. ad Libros Moralium* recensuerunt *Epitomatores* VII. Verum Fortuna Libraria Nostrum illis invidit, eapropter curatius hic tanquam ἀνεκδοτον, imo ignotum describendum. Primo dabo Prooemium. *Prooemium uerborum sequentium.*

Mell) fluenti) uerba sequenti) suscipe lect)

e a a or.

Reic) lubric) querito celic) splendifica c)

Ggg 2

Huius

Huius uerba codicilli. si quispiam leſitare. ſiue ſcrutari decreuerit. opere precium eſt eum ſcire. nichil in eo proſus ex arbitrio conſcribentis fore cuſum. aut ex libitu ingenioli proprii adiectum. ſicut plerique facere conſueuerunt. qui mente ſupercilioſa. quam plura ſcriptis. de ſuis ſuper addidere ſicmentis. unde leſtori poſſit nauſia. uel rancor. aut indignatio. ſeu etiam corrodentium aliorum dicta uel facta emulatio procreari. Auſcultet itaque prudens leſtor. qui dentem non habet liuentem. et audiat qui uoluerit. de quo fonte materia huius opuſculi emanauerit. Ad inſtar quippe alicuius uiride deambulantis per pratum. diuerſorum colorum floribus perornatum. eorum ſentiens fragrantiam (ita et Papias) uidensque florum amenitatem. decerpat

non omnes equaliter. ſed de omnibus aliquos. uidelicet potiore fragrantantes odore. et ceteros baſamitica precellentes ſuauitate. ita procul dubio. de libris moralium. mira et ſtupenda cathegorizantium. ſunt hec permodica colleſta et compilata. In his ergo libris ſanctiſſimus et eloquentiſſimus papa Gregorius. uir totus apoſtolicus. organum reuera ſancti ſpiritus. nec non uirtutum ſpeculum. eiſdem ſancti ſpiritus gratia debriatus (frequens medio aeuo, meliore ſenſu pro inebriatus) mirabiliter et ineffabiliter ex habundanti peſtoris armario lo intonat. et dictis nos ſalutaribus. ſicut adipe frumenti deleſtabiliter cibat. atque ſententias diuina dulcedine plenas. mirifica atque rariſſima ſuauitate inditas. mellifluis omnibus ſitientibus deum ore propinat.

Hec ſi ſcrut) ſcrutando ne pigrit )  
eris eris.

Non execr ) ſacra ſunt ergo uener)

Traſtatio tota Periobis definitur, atque ut harum etiam ſpecimen dem, en primam.

Pacis non belli ſunt huius uerba libelli.  
Exilarant mentes reſecant de peſtore ſentes.

Initium ſapientie timor domini. Vnde beatus Gregorius dulciſſimum ſancti ſpiritus organum. in libro iob I. aſſerit dicens. Deum timere eſt nulla que faciendae ſunt bona preterire. Vnde per ſalemonem dicitur. Qui deum timet nichil negligit. ſed quia non nulli ſic bona quedam faciunt. ut tamen a quibusdam malis minime ſuspendan-

tur. in pſalmo aperte ſcriptum eſt. Declina a malo et fac bonum. Neque uero bona deo accepta ſunt. que ante eius oculos malorum imixtione maculantur. Et per ſalemonem dicitur. Qui in uno offendit. multa bona perdit. Hinc iacobus atteſtatur dicens. Quicumque totam legem ſeruauerit. offendat autem in uno factus eſt omnium reus. Hinc Pau-

Pau-

